

que nos ista respondimus: De controuersia, que inter ecclesiam et regnum est, uel conuentioni uel iustitie libenter acquiescimus loco et tempore competenti, uidelicet uel Mediolani^a uel Cremona in proxima beati Luce festiuitate fratrum nostrorum consilio uel iudicio, qui a Deo sunt iudices in ecclesia constituti, et sine quibus causa hec tractari non potest. Et quia in tempore a nobis securitatem querit, nos uerbo et scripto ista promittimus, nisi ipse interim impediat; alias enim securitates facere nec honestas ecclesie nec consuetudo est. Ille statim die uidelicet post electionem nostram XLIIII^{to} Bacharensem episcopum, anno preterito^b a domino predecessore nostro P(aschali) papa in concilio Beneuenti excommunicatum, in matris ecclesie inuasionem ingressit. Qui et cum per nostras olim^c manus pallium accepisset, predicto domino nostro et catholicis successoribus eius, quorum primus ego sum, fidelitatem^d iurauit. In hoc autem facinore nullum Deo gratias de Romano clero imperator socium habuit, sed Wibertini III tam infamem gloriam celebrarunt. Experientie igitur uestre precipimus, ut omnia fratribus aliis nota faciatis et ad matris ecclesie ultionem sicut oportere cognoscitis prestante Domino accingamini^e. Dat. Caiete 3 id. martii.

2.

Kardinalbischof P(etrus) von Porto teilt C(unno) von Praeneste den Tod Paschals II. und die Wahl des Kanzlers Johannes mit und macht weitere Mitteilungen über die politische Haltung des neuen Papstes und die auf die Wahl folgenden Ereignisse.

(Gaeta 1118 ca. März 13—16).

Abschrift des 12. Jahrhunderts (wie n. 1).

Dilectissimo fratri in Christo et omni affectione venerando C(unoni) Prenestino P(etrus) Portuensis episcopus in Domino salutem. De obitu patris nostri felicis memorie P(aschalis) papae plurimum contristati, sed in hoc non modicum consolati sumus^f, quia tantam ei Dominus gratiam contulit, ut Romani, qui eum execrabili odio usque ad mortem persecuti fuerant, statim ut eius obitum

a) Medialani.

b) pretito.

c) nostra solim.

d) felicitatem.

e) accingimini.

f) simus.